

/ Robertus S.R.E. Cardinalis Bellarminus Eximio sacrae Theologiae Doctori Andreae Duvallo S.P.D.

Scripseram ante aliquot annos responsionem ad litteras tuas; sed non misi, quia videbaris mihi subiratus, et in deteriorem partem accepisse litteras meas. Itaque nolui tunc novis literis augere incendium, sed expectare, donec per gratiam Dei extingueretur. Opportune autem hesternae die venit ad me Dñs Henricus Spondanus, communis amicus, et me nomine tuo non solum humanissime salutavit, sed etiam addidit, poenituisse te, quod paulo asperius alias responderis literis meis. Nunc igitur tempus advenisse censui, in quo sine offensione mittere possem litteras, quae satis diu delituerunt in scrinio meo. Lege igitur, si me amas, ut ego te in Christo vehementer diligo, pacato, et tranquillo animo responsiones meas ad objectiones tuas. Cupio enim in animo tuo talis esse, qualis

15 re vera sum, non qualem me videri fecit spiritus iracundiae. Denique finge te esse Augustinum, me Hieronymum, et tam pacato animo lege litteras meas, quam scis pacato animo legisse Augustinum litteras Hieronymi cum de quaestionibus sacrae Scripturae inter se disputarent. His vale Doctor eximie, et me, ut facis, amare perge.

20 Romae, die 15 Octobris 1618.

Clarissimae Dominationis tuae

Amicus ex animo

Robertus etc.